



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini

Zyllesius, Nicolaus

Treveris, 1638

30. Henrici V. Imperatoris Dat. Spiræ, Anno MCXII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14268

ne liberati, prædictas Curtes ob nostram ibi memoriam à fratribus perhenniter faciendam, simul etiam pro remedio animarum Parentum nostrorum, Aui scilicet Cuonradi, & Patris nostri Heinrichi Imperatorum, Gislæ Auiz nostræ, Agnetis matris nostræ Imperatricum, & filij nostri dilectissimi Heinrichi V. Regis, aliorumque nostrorum parentum liberè reddidimus, ea videlicet ratione, vt Folcmarus eiusdem loci Abbas, ipsiusque successores prædictas Curtes ad vsus fratrum Deo, sanctoq̄ue Maximino seruentium possideant, & nulli vnquam dare, beneficiare, vel vendere, vel in vadimonium alicui ponere, aut aliquomodo abalienare præsumant. Decernimus quoque, vt in anniuersario die nostræ ordinationis ad Imperium, quæ est pridie Kl. Aprilis, fratres seruitium inde habeant, & trecenti pauperes pascantur, & ex his duodecim vestiantur, & quod nobis viuente de pauperibus & fratribus fieri constituimus, idem post obitum nostrum in anniuersario nostro obseruari disponimus. Et vt hæc traditio firma & inconuulsa in perpetuum permaneat, cartam præsentem Sigilli nostri impressione insigniri præcepimus.

Signum Domini Henrici Tertij Romanorum Imperatoris inuictissimi. Humbertus Cancellarius Vice Archicancellarij recognouit. Data VII. Kl. Aprilis, Anno ab Incarnatione Domini MCI. Indictione VIII. Regnante Henrico Tertio Romanorum Imperatore Augusto, Anno XLVII. Imperante XVI. Acta est Spiræ in Dei nomine feliciter. Amen.



30.

*Henrici V. Imperatoris Datum Spiræ, Anno
MCXII.*

IN nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Henricus diuinâ fauente Clementiâ Quartus Romanorum Imperator Augustus. Si Monasteria sacra & famulos inibi Deo famulantes à multimodis Aduocatorum oppressionibus præmunire studuerimus: Regni nostri & Imperij statum diuinitus inde corroborari non dubitamus. Proinde fidelium nostrorum tam præsentium, quàm futurorum magnitudo comperiat, qualiter fidelis noster, Berengorus videlicet Abbas de Monasterio Sancti Maximini, qui in suburbio Treuitorum corporaliter quiescit, nostram Imperialem adiuuam clementiam postulans & in Domino humiliter obsecrans, quatenus priuilegia prædecessorum nostrorum Henrici, Item Heinrichi, nec non Chuonradi aliorumque Antecessorum nostrorum inuictissimorum super multimoda Aduocatorum molestia, præfato Cœnobio concessa, nostris etiam priuilegijs renouare, & corroborare dignaremur. Cuius

peti-

petitioni ob amorem Dei, & ob interuentum Mathildis Reginae dilectissima Coniugis nostrae, Brunonis etiam Treuirensis, ac Friderici Coloniensis Archiepiscoporum, nec non Brunonis Spirensis, Burchardi Monasteriensis, Othberti Leodiensis, Burchardi Traiectensis, Arlongi Wurtzburgenfis, Ottonis Babenburgenfis, Eberhardi Echstatensis, Herimanni Augultatenfis, Odalrici Constantiensis, Rudolphi Basiliensis, Kuononis Strasburgenfis, Vidonis Curienfis, Richardi Virdunensis, Richiui Tullensis, Venerandorum Episcoporum, Friderici Ducis, Godefridi, Berengeri, Cuonradi, Ludouici, Bertholphi, Friderici Comitum, aliorumque nostrorum fidelium assensum praebentes, & paternis traditionibus per omnia consentientes, hoc nostrae auctoritatis praecipuum inde fieri decreuimus, per quod volumus atque iubemus, ut leges & iura, quae familia Sancti Maximini sub progenitorum nostrorum temporibus habuerat, deinceps firmata & eiusdem loci hominibus stabilita semper & inconuulsa permanent; volumus etiam atque praecipimus, ut Aduocati in Abbatia illa non nisi ter in anno, & illi, qui Hunnones in quibusdam locis dicuntur, non nisi in tertio tantum anno (nisi recens furtum fuerit) placitare debeant. In illis igitur placitis Aduocatorum siue Hunnonum, quicquid clam, aut aperte, retro vel ante in via illuc vel inde eundo vel redeundo quisque reus vadiauerit, secundum arbitrium Abbatis, aut praepositorum suorum siue villicorum, aut meliorum, qui in curtibus sunt iuxta modum culpae & facultatis vnus cuiusque hominis disponatur, inde duae partes Abbatis, tertia Aduocatis tribuatur. Si propter census sui negligentiam, vel ob quamlibet aliam culpam mansus aut possessio alicuius hominis in placitis Abbatis publicata siue dominicata fuerint, omnia Abbatis erunt, nisi bonis eisdem quilibet rei postea se temere intromiserint. Bonorum autem, quae in placitis Aduocatorum publicata fuerint, duas partes Abbas, tertiam Aduocatus habebit, exceptis frugibus, quarum tertiam partem in eodem tantum anno Aduocatus habebit, postea vero nihil ad eum pertinet, quid Abbas per Villicos suos inde disponere velit, seruitia quae in Curtibus quibusdam Aduocatis tribuuntur, cum villicis & Scavionibus accipere, & non emittere debent, vel vendere, quia ad hoc eis donantur, ut quicquid Abbati vel familiae aduersitatis contigerit, per eos corrigatur: quod si id non correxerint, quod bis, vel ter in illorum placitis ex parte Abbatis, eis accusatum vel denunciatum fuerit, tam diu Abbas eos seruitio constringat, donec ea, quae prius illis in placitis ipsorum accusata sunt, ad correctionem perducat. Si quis propter furtum, aut latrocinium damnatus fuerit, omnis substantia siue possessio illius Abbatis erit, Aduocatus vero de homine, quod sibi & comprovincialibus melius visum fuerit, agere licebit. Si quis ex familia interfectus fuerit, pretium illius, id est, *Weregeld* totum Abbatis erit: si vero per Aduocatum acqviserit, tertiam partem sibi dabit; seruiantes vero qui Scaremanni dicuntur, nulli Aduocato subiaceant, nisi nostro, successorumque nostrorum Regali vel Imperiali dominio, vel potestati, nulli eorum pro quibuscunque culpis, aut rebus respondeant. Nulli eorum seruiant, nisi beneficia ab eis habeant, aut Abbas pro necessitate & utilitate Monasterij cum illis eos alicubi re praecipiat. Praebendarij autem, qui fratribus infra claustrum seruiunt, siue in ipso loco, siue in Cellula, quae Tauena dicitur, siue Dagescalci aut censuales, qui cereales dicuntur, siue piscatores aut pistores nulli Aduocato vel Hunnoni subiaceant, sed tantum Abbati aut Villicis suis, pro quibuscunque rebus respondeant. Si Villani debitum censum voluerint denegare, primum per alios Iudices, deinde in ipso principali loco Treuiris per illos Iudices ac ministros,

qui

qui Scaremanni dicuntur, ad viam, si possunt, reducantur; sin autem per cartam vel Aduocatum; ad vltimum verò per manifestum iudicium, in quo, si conuicti fuerint, omnibus bonis suis carebunt, & nullum ius, nisi quod Abbas postea eis concesserit, habebunt. Si quis ex mansionarijs, qui circa Urbem, vel in alijs longè, vel propè positis curtibus commanent, censum debitum, qui ad vsum fratrum quotidianum pertinent, die statuto vel tempore non dederit, statim sequenti die villicus Abbatis sine Aduocato de domo ipsius vadimonium tale accipiat, cum quo seruitium fratrum, quantum ille debuit, plenissimè persoluét. Cæterum autem seruitium eius in Curte, qua habitat, secundum iudicia Scauionum exigendo requirat. nusquam nisi inter se Villani aut Mansionarij nubant, aut vxorem ex familia Sancti Petri accipiant, ita tamen, vt alteri Ecclesiæ, altera damnum non inferat; sed per Successiones filiorum, aut filiarum vtrique Ecclesiæ, quod suum est, ad vltimum redeat & remaneat. Si homo in hominem verbis aut factis deliquerit, Aduocatus eum inde non accusabit, nisi præsens sit aliquis, qui eum accusauerit, aut inter se duo inimici clam aut apertè pacificati fuerint inter se, ibi vtrorumque culpa parebit. Aduocatus verò Wilhelmus Comes, qui in præsentiarum est: siue Successor eius, qui bannum à Regiâ manu suscepit, proxima die post Festum Sancti Maximini super prædia & mancipia ministrorum à prima vsque ad nonam placitabit. Ita tamen, si celebre Festum, vel ieiunium ea die non fuerit: & quicquid ibi placitando acquisierit, duas inde partes Abbas, tertiam vero Aduocatus habebit. Ad seruitium autem si placitauerit, & quæ corrigenda sunt Scauionum iudicio correxerit duos modios panis, quatuor oues, & amam vini Abbas Aduocato dabit, si amplius necesse habet, de placito habebit, quemadmodum omnes Ecclesiasticas & salicas decimationes ad susceptionem hospitem & peregrinorum Abbatem habere decreuimus: ita sine dubio de omnibus syluis siue nemoribus in S. Maximini proprio iacentibus decimam partem tam in arboribus, quam de pretio porcorum, siue vtilitate apium eum per omnia habere volumus, atque firmauimus, tam in Kilevaldo, quam in Sylua, iuxta curtem Steinsila, vel circa Castrum Lutzelenbourgh adiacente, nec non in syluula, vel Wader in Taleuangeromarca dicitur consistere. In suis autem Syluis, quas adhuc in manibus habet, potestatem ei damus, quidquid sibi placuerit, exceptis feris bannitis, liberè disponere. Potestatiuè verò per Abbatiam placita (exceptis tribus debitis) tenere, vel de curte in curtem ire, aut hospitia vel seruitia rusticis siue villicis Abbatis & Fratrum violenter exigere, aut in scissionibus vel petitionibus eos grauare, & vipersora illorum aut patesfredos tollere tam Comitibus & Ducibus, quam Aduocatis hac nostra Imperiali authoritate omnimodis interdiciamus, quia sicut in priuilegijs Genitoris nostri Henrici, aliorumque progenitorum nostrorum Henrici atque Conradi, nec non Henrici pijsimorum Imperatorum inspeximus sex millia, septingenti, quinquaginta & amplius mansi, vnde Abbas in militiam ire, vel prædecessoribus nostris, vel nostræ Regalitati in secundo semper anno seruire debuit. Ad hoc beneficiati sunt diuersis fidelibus nostris Ducibus scilicet, atque Comitibus, vt cætera, quæ ad præbendam Fratrum remanserant, absque omnium Aduocatorum inquietudine (exceptis tribus illorum placitis) liberè & quietè possideant. Addimus etiam, atque præfato Abbate petente remittimus fratribus in cellula, quæ Tauena dicitur, DEO Sanctoque Quiriaco seruientibus bona videlicet sua in Murmirdinga vel in Druchtildinga, vel in Capella Ahdspelt, quibus eos per aliquot annos

consensu Wilhelmi Comitis & Henrici fratris sui post obitum cuiusdam V do-
nis de Vischebach, qui eadem bona à Theodorico Abbate, quamuis iniuste pro
beneficio habuit, iniuste eos perdidisse cognouimus, & vt eadem bona famulis
Dei in præfata cellula Deo, sanctisque Christi Confessoribus Auctori & Qui-
riaco famulantibus nullus auferre præsumat, firmiter interdiciamus, & vt hæc
lura præfati Monasterij & familiae Sancti Maximini, additis etiam bonis tam
dictis ab ista die, & deinceps nullus infirmare vel auferre audeat, aut infringe-
re, chartam hanc inde conscriptam manu propria subtus firmauimus, & Si-
gilli nostri impressione insigniri iussimus.

Signum Domini Henrici Quarti
Romanorum Inuictissimi Impera-
toris Augusti. Adelbertus Cancellar-
ius recognouit. Data VI. Idus Au-
gusti, Anno Dominicæ Incarnatio-
nis MCXII. Indictione V. Regnante
Domino Henrico Quinto Rege,
Quarto Imperatore Anno regni eius
XII. Imperij verò primo. Actum Spi-
ræ in Dei nomine feliciter. Amen.

